



Pra. 3. num. 24.

22

17576.

Q. D. E. V.
DISSERTATIO
DE
BELLO PVNITIVO
SECVNDVM JVS NATVRÆ
HAVD ILLICITO

QVAM
FORTVNANTE SVMMO NVMINE

ET

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE CONSENTIENTE
IN ACADEMIA VARNO-BALTHICA

PRAESIDE

JOANNE GEORGIO QVISTORPIO
PHILOSOPHIAE MAGISTRO ET SOCIETATIS DVCALIS
TEVTONICAE, QVAE JENAE FLORET, SODALI

A. R. S. CLOCCCLVII. DIE OCTOBR.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SUBJICET

HERM. FRIDERICVS EPHRAIM BEKMANNVS

MARLOVIO - MEGAPOLITANVS
PHILOSOPH. ET LL. CVLT.

ROSTOCHII,
TYPIS ANTON. FERDIN. RÖSENIANIS.



BELLO PANITIO
ECCLASIAE MATERAE
HABD. HIC CITO

JONNE GEOEGIO GASTORIO
ACADEMIAE IMPERIALE SCOTIENSIS
ALLEGORIAE ET MORALIAE
LIBERI ET LIBERTATIS
CIVITATIS
SCOTIENSIS
HISTORICO-POLITICO-
LITERARIO ET SOCIO-
POLITICO-CONSTITUTIONALI
IN ACADEMIA LONDINIENSIS
EXPOSITA
AD
JANUARIUM
MDCCLXV
TYPIS
ET
IMPRESORIBUS
G. & J. DODS
OCCLXXII
ET
EX LIBRIS
PROFESSORIS
J. C. H. CALVI



DISSERTATIO PHILOSOPHICA:

^{DE}
**BELLO PVNITIVO SECUNDVM
IVS NATVRAE HAVD ILLICITO.**

§. I.

Hominum in statu naturali consideratorum eam esse conditionem, ut alios in possessione atque usu eorum, quæ ad $\tau\omega$ suum pertinent, turbandi, adeoque lœdendi conatum saepe sèpius arripiant, quas quidem lœsiones adgrediuntur efficaciter avertere perfecte sit obligatus, nisi rerum humanarum inscius temere negabit. Quæ quum ita sint, non potest non, quin status, quo homines conatu efficaci sibi invicem mala infligendi cupiditate flagrant,

A 2

inde

inde oriatur. Hic dicitur bellum, cuius intrinsecam constitutionem ulterius jam sumus expositi.

Corol. Vix est, ut dicamus, nos ab eorum abesse sententia, qui cum CICERONE (a) quamvis certationem per vim bellum vocarunt, quem ex §. id satis intelligatur. Hi enim terminum, *bellum* seu *actum* interpretantur, quem nos gravissimis rationibus adducti, cum GROTIUS (b) per statum determinavimus.

Schol. Convenit autem definitio belli, quam praeunte ill. DARGES (c) nostram fecimus, cum notione GROTI, qui (d) *bellum* seu *statum per vim certantium* explicat. Nec minus, praeter b. KOEHLERVM (e) consentientem habemus celeberrimum WOLFIVM (f) qui *belli nomine statum hominum* salutat, quo *jus suum per vim persequitur adversus alios*, cui quidem notioni, quamvis terminus, *jus*, indeterminate positus eam ingrediatur, non est, quod objicias, ad injusta pariter atque illicita illud quoque esse extendendum. Ad actiones enim moraliter possibles, id est, legibus haud repugnantes facultas moralis ejusque exercitium restringi tantum potest per princip. J. N. non vero ad moraliter impossibilia, quorum obligatio, ex quo oritur jus, nulla potest concipi. Priori igitur

(a) de offic. l. 1. c. 11.


(b) Jure B. & P. l. 1. §. 2. n. 11.

(c) institut jurisprud. universal. §. 358

(d) l. c.

(e) exercitat. J. N. §. 806.

(f) J. N. P. I. Cap. III. §. 1302.



tur significatione terminum, *jus*, hoc loco etiam accipiendum esse, per se patet.

§. II.

Facultas bella gerendi a legibus concessa, sive quod idem est, moralis vocatur *jus belli*. Quod quum prævia turbatione omnibus omnino hominibus in statu naturali consideratis æqualiter competit, perspectu quoque est facillimum, quemlibet, alterum in eo, quod ad *re*s suum pertinet, turbantem, externe posse cogi, ut obligationi suæ convenienter vivat, & refræctario sine violatione legum summa mala inferenda, & ut paucis multa dicam, turbatorem debellandum esse.

Coroll. Sumsimus in §. *jus belli subjective*, quo quidem in significatu a GROTIUS nos distinguimus, cui illud *objective* spectatum idem est, quod certum *systema*, *regulas tradens*, secundum quas bellum est gerendum.

§. III.

Jure itaque nostro gaudentes vario modo illud exercere possumus. Læsiones enim jam illatæ, quas avertendi obligatio nostra requirit, *bellum* constituunt *reparativum*, quod quum respectum habeat ad præstationem damni vel physici, ex sola scilicet turbatione orti, vel moralis; ex illo bellum concipitur *nude reparativum*, ex hoc vero idea belli *reparativo punitivi* commode

A 3 deri-

derivari poterit. Dantur porro laesiones imminentes, ad quas retardandas naturaliter obligati sumus, en fundamentum belli defensivi! quæ quidem laesiones imminentes, quum morales vel non morales dici queant, ex his bellum oritur nude defensivum, ex illis vero bellum punitivo seu vindicativo defensivum, cuius justitiam in sequentibus demonstrandi animus est.

§. III.

Hæc autem meditantes, non possumus non, quin HVGONEM GROTIUM, de jure Naturæ & Gentium doctorem meritissimum antesignanum prædicemus, cuius studio de bello punitivo maxime controverso dicenda primum in ordinem sunt redacta. Quamvis enim ARISTOTELI suo jam tempore eadem mens fuerit, & hic summis principibus jus puniendi concedens, quædam de illo præfatus sit, GROTIUS tamen pro more suo, id est, solidissime casus explicans magis determinavit, in quibus bellum punitivum principiis sanæ rationis repugnaret, tantum abest, ut potius justum atque licitum sit pronunciaadum. Ita autem ille (g): *Plane quot actionum forensium sunt fontes, totidem sunt belli; nam ubi judicia deficiunt, incipit bellum.* Dantur autem actiones ob injuriam non factam, aut ob factam.

(g) J. B. & P. L. II. c. I. §. II.

gam. Ob non factam, ut qua petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, & interdicta alia ne vis fiat. Factam, aut ut reparetur, aut ut puniatur; quos duos obligationum fontes recte distinguit Plato nono de legibus. Plerique tres bellorum statuunt justas causas, defensionem, recuperationem rerum & punitionem, quae tria in Camilli ad Gallos denunciatione invenias: omnia, quæ defendi, repeti & ulcisci fas est. Alio autem loco (b) hæc verba leguntur: Ne, qui læsus ab eo, cui intererat non peccatum esse, malum patiatur, tribus modis curari potest: primum si tollatur qui deliquit, deinde si vires nocendi ei adimantur: postremo, si malo suo dedoceantur delinquere, quod cum emendatione conjunctum est. Ne ab aliis puniatur, qui læsus est, punitione non quavis, sed aperta atque conspicua, quæ ad exemplum pertinet, obtinetur. Ad hos ergo fines, & intra eque terminos si dirigatur vindicatio etiam privata, si jus naturæ, id est, abductum a legibus divinis humanisque, & ab his, quæ non necessario rei accedunt, respicimus, non est illicita: sive fiat ab ipso, qui læsus est, sive ab alio, quando hominem abs homine adjuvari naturæ est consensaneum, cet.

§. V.

(b) Lib. II. cap. XX. §. VIII.



conclamatio in §. V. videlicet non 30

Quæ quidem verba magni illius doctoris penitus considerantes, per sublationem delinquentium, si quid recte judicamus, bellum indigitari reparativo punitivum omnino existimamus §. III. Nonne enim damna sunt illata? notio *delinquentium* nostra ex sententia hanc nec aliam admittit interpretationem, qui actus quum vitiosus simul esse possit, jus postulandi præstationem damni æque facile inde concipitur, quam jus puniendi. Hoc constituit obligationem bellum gerendi, quod reparationem cum punitione respicit & ad sublationem usque, si aliter obtineri nequit, cuius justitiam nemo, nisi quodcumque bellum injustum pronuncians, & jus, quod cuilibet læso in lèdentem in infinitum competit, in dubium vocans, temere adcausat. GROTIUM itaque hanc thesin defendantem a paucissimis impugnatum esse, quis est, qui miretur?

Coroll. Equidem celeb. SCHMIDT (*i*) præ primis GROTIО contradixit, & persuavus, inter principes arque subditos, superioritate territoriali destitutos, quæ sola bella gerendi justam caussam ipsius ex sententia suppeditat, nullum concipi posse bellum reparativo punitivum quin potius nomen pœnæ hic tantum obtineat, ad stipulari noluit. Confunditur autem a viro doctissimo, ut cum maxime reve-

Dissertat. de bello punitivo, Lipsiae 1714. ventilata.



reverendo GVNNERO (k) loquar, bellum sic dictum publicum, cuius notionem ingreditur superior, cum bello in genere, quod hanc determinationem minus respicit. Nonne enim ipse superior respectu subditorum superioritate plane indignum se reddere potest? respondeat huic questioni ill. GLAFEY (l), cuius verba sequentem in modum fluunt: Ein Souverain kan die Grenzen seiner Herrschaft durch öffentliche Tyrannie und Zwang der Gewissen dergestalt überschreiten, daß er dadurch seine Herrschaft verliere, und die Unterthanen in den statum und libertatem naturalem zurück kehren, mithin einer solchen Gewalt die Waffen entgegen setzen können cer.

§. VI.

Progredimur ad alteram belli punitivi speciem, quæ privationem virium nocendi quam maxime urget, & ex jure defensionis ultimato originem ducit. Bellum enim defensivum ob læsiones imminentes geritur averterendas, quibus lædens nos adficiendi conatum habet efficacem. Qui conatus, quamvis non semper sit vitiosus, leges tamen moraliter violare adeoque penae notam effugere nequeat, bellum dari defensivo punitivum

(k) dilucidat. J. N. & G. ill. Darjes P. V. §. 365. p. 415/

(l) Jure N. & G. pag. 91.



nitivum & quidem justum, insimul quoque evi-
tum est.

§. VII.

Restat autem pomum eridos, quod emendationem populi delinquentis tamquam causam belli punitivi venditat justam. Forsitan hoc non ens, cuius nullae sunt affectiones, plurimorum vestigia premens, vocabis, quo jure videbitur? quum realitas ejus secundum principia juris naturalis firmissimis corroborari potest argumentis. Generalem probationem ita accipe: juris naturae est, ut perfectionibus societatis humanae hominumque vivamus convenienter, eaque operemur, quae ad illorum perfectiones conservandas, nec non augendas necessario requiruntur. Populi leges moraliter agendo violantes redduntur imperfectiones. Quum igitur obligatio ad finem semper det obligationem ad media sufficientia per princip. J. N. insimul etiam negari nequit, obligationem adesse naturalem, ea adhibendi media, quibus conatus illorum leges moraliter violandi potest infringi. Media sunt vel coactiva, vel non coactiva. Ad illa mala referuntur consecaria, ob moralem legum violationem transgressoribus inferenda, quae dicuntur penæ. Ponamus igitur, media non coactiva ad impediendos conatus moraliter violandi leges haud sufficere, per

ex.



II

expletionem juris media coactiva sive pœnæ adhibeantur, necesse est.

Coroll. Quæstio si movetur, quænam delicta secundum jus naturæ objectum constituere juris punitivi; responsio est in promtu, ea scilicet, quorum consummatio mediis coactivis impediri potest. Quum enim celsante fine, id quoque cessare debeat, cuius est finis, immediate sequitur, juris puniendi exercitium eo in casu, quo in finis pœnæ, emendationem puto, obtentu plane impossibilis pronunciandus est, minus locum invenire posse.

§. VIII.

Verum enim vero quamvis principia §. præced, in se spectata juris nominentur imperfecti, ad perfectum tamen ea transire sequens corroborabit argumentatio. In collisione malum minus, quod respectu majoris ceu bonum considerandum venit, malo majori præferendum esse haud ægre concedes. Ponamus itaque, populos delinquentes iterum iterumque alios turbasse, præsumtio adest, maximaque probabilitate, quæ primum certitudinis constituit gradum, colligitur, ipsos in posterum ab illatione malorum non destituros, sed e contrario, data quidem occasione, turbatorum numerum esse aucturos. Quæ quum ita sint, nil, opinor, impedit, quo minus jus puniendi

B 2

exer-



exerceatur, ipsique delinquentes ad consummationem delictorum avertendam in talem redigantur statum, quo amplius nocere haud valent. In universo enim cuius respectum præcepta juris naturalis plus una vice nobis injungunt, si rem consideras, illationem malorum ob perfections exinde concipiendas, non esse aequiparandam delictorum consummationi, adeoque malum minus ceu bonum respectivum hic præferri, facili negotio adsequeris. Accedit, quod in hac illatione malorum nihil absurdum, nec principiis sanæ rationis deprehendatur repugnans. Si enim adesset contradictionis, vel in penis, quibus populi, leges moraliter violantes adficiuntur, lateret, vel in eo, quod superioritate destituti populis delinquentibus penas infligant; tertium enim non datur. Jam vero utrumque falsum pronunciamus. Quæcumque enim operatio quam plurimas producit perfections, ea minus est negligenda. Jam vero illationem penarum quam plurimas perfections producere, absque errandi periculo, subsumere possumus. Ergo, illationem penarum minus esse negligendam concludimus. Majoris propositionis veritatem sua luce radiare, quilibet principium juris naturalis adæquatum, perfections videlicet convenienter vivas, in dubium haud vocans facile largietur. Ad evincendam vero propositionem minorem provocare liceat ad quotidianam experien-



perentiam, qua testante legibus morem haud gerentes, a magistratu in exemplum simul aliorum, vario modo puniantur ut ex pœnis ad sui emendationem motiva depromant. Quis autem sanæ mentis ejusmodi conamina, quum finis ille haud raro obtineatur, rationi pronunciabit adversa? forsitan secundum membrum ita est comparatum, ut nullo modo admitti queat? intrepide ejus oppositum defendantes evitum dare studebimus, refutando objectiones palmarias a permultis magni nominis viris formatas, e quibus SAMVEL. PVFENDORFIVM (m) allegasse sufficiat, id quod fiat §§. sequentibus.

§. IX.

Dissentit autem a nobis magnus ille jurisprudentiae universalis restaurator, quoniam jus puniendi solummodo ex superioritate imperii derivandum esse sibi persuadet. Audiamus ipsius verba, sequentis quidem tenoris (n): *Fixum nobis sedet, potestatem pœnas sumendi esse partem imperii, adeoque neminem posse pœnam propriæ dictam alteri imponere, nisi qui in ipsum imperium habet.* Licet enim, posita bominum

(m) J. N. & Gent. lib. VII. cap. III. §. VII.

(n) I. c.

malitia & ad alios laedendos proclivitate, ad conservandam inter homines socialitatem necessum sit penas exerceri; quilibet autem actiones suas ad socialitatem, tamquam bonum universi generis humani referre debet: tamen non sequitur, singulos debere quoslibet actus ad socialitatem facientes exercere, qui scilicet utiliter exerceri nequeunt, nisi positis requisitis. Sicuti & imperio inter homines opus est; nec tamen quilibet in quoslibet illud exercere potest aut debet. cet.

§. X.

Monitum hocce a P V F E N D O R F I O doctissime excogitatum, debita qui perpendit attentione, non poterit non, quin principia, ex quibus ille argumentatur, partim nobis favere, nostraeque de origine juris puniendi sententiae nil quidquam derogare, partim vero nobis opposita non regulis justi sed prudenter adnumeranda esse fateatur. Quid enim verba: posita hominum malitia & ad alios laedendos proclivitate ad conservandam inter homines socialitatem necessum est, penas exerceri, & quemlibet actiones suas ad socialitatem, tamquam bonum universi generis humani referre debere, quid, irquam, aliter sibi volunt, quam §. VIII. a nobis defensa, omnes omnino homines naturaliter nimirum obligatos esse ad ea operanda, quae ad perfectiones aliorum vel conservandas

vel

vel augendas necessario requiruntur, qua ex obligatione, posita hominum malitia & ad alios laedendos proclivitate, immediate jus puniendi derivatur? Quod reliquum est in argumento acutissimi nostri dissentientis, regulæ prudentiae ejus observationem inculcant. His enim convenientius esse, ut cum ill. DARJES loquar (o) singulis ejusmodi exercitium non relinquare, sed hoc in quosdam transferre, hoc non negamus, sed quid inde? necessitas illa atque obligatio, de quibus sermonem fecit Pufendorfius, locum quoque habet in statu naturali. Ex necessitate illa atque obligatione deduxit jus puniendi sed quis est in statu naturali superior? ipse itaque Puffendorf. ob principia, que sumut, ea concedere debet, que impugnavit.

Coroll. Veritas thesis nostræ, quæ de superioritate imperii adeo sollicita non est, ut cum celeberrimo Viro ad juris puniendi exercitium necessario imperantem si-
ve personam de actionibus reliquorum pro arbitrio proprio disponendi gaudentem, requirat, veritas, inquam, magis ex exemplo elucescer, quod quidem e formâ ci-
vitatis democraticæ, in qua totus populus imperium ob-
tinet, desumtum est. Juris puniendi exercitium & in
hac

(o) Observat. juris natur. social. & gent. Vol. II, Observat. LXVI.
p. 335.



hac abrogari non posse, quoniam nullo tempore desunt, qui leges civitatis moraliter violant, facile concedis. Cuinam vero competit jus? si regeris, imperanti, scire cupio, quinam civium in democracia viventium hoc nomine sit salutandus? si vero commune admittis imperium, quo in dirigendo actiones civium delinquentium omnes aequalia habent jura, idem est, quod nos sine convictione haud defendimus.

§. XI.

Pergit autem laudatus ille PVFENDORFIUS sequentia nobis opponere: *non omne, ait, malum, quod ob antegressum peccatum infertur, pœna est, sed quod ante denunciatum, & post cognitionem delicti impositum fuit.* Sed ad hanc objectionem refutandam, quum in foro naturali, non autem civili, versemur, liceat nobis verba GRÖTII, quum optime hic quadrant, allegare (*p*) quæ sequentem in modum fluunt: *ante legem pœnalem (legem positivam) constitutam, dubium non est, quin pœna locus esse possit, quum naturaliter qui deliquit, eo in statu est, ut licite puniri possit.* Ne vero contra præcepta logices ex præjudicio auctoritatis argumentemur, dicendum, quod res est.

Ante

(*p*) J. B. & P. I. II. cap. XX. §. XXII.



Ante omnia igitur PVFENDORFIO, nisi nos omnia fallunt, probare incubuisse, malum ob delictum antegressum aliis quidem illatum penae notam effugere, quod nos negare audemus, & deinde penam denunciataam a superiore post cognitionem delicti semper delinquenti inferri, quod iterum, regulis prudentiarum in consilium adhibitis, universaliter non erit adserendum. Quae quum ita sint, ipsius argumentum petitione, quam Logici vocant principii, laborare factendum est.

§. XII.

Palmariis PVFFNDORFII meditationibus, ex quibus reliqua deduci possunt, prolati, unicum quod plurimos dissentientes offendit, cui & ipse GROTIUS. (q) suffragari videtur, subjungemus. Continet autem illud tritissimam regulam: *nocens aequa nocentem puniendi minus habet jus* quod quidem nos hoc loco negamus atque pernegamus. Admissa enim ratione, qua jus aliquod determinatur, ponitur ipsum jus, & durante illa, hoc tolli nequit. Jam vero aequa nocens ea hominibus obstrictus manet obligatione

ex

(q) Lib. II. cap. XX. §. IX-XI.



ex qua jus puniendi descendit. Ergo & nocenti jus
aeque nocentem puniendi denegari haud poterit. Fin-
gas tibi in hujus veritatis illustrationem magistratum
vitiosum, cui jus delicta puniendi concedes vel non.
Si posterius, idea magistratus removetur. Posito
enim magistratu ponitur quoque jus, quod ipsi com-
petit, bonas actiones scilicet remunerandi, malas ve-
ro pena adficiendi. Si autem admittitur illud, statim
patebit, ejusmodi magistratui vitioso jus puniendi non
ex regulis justi solum, sed & ex regulis competere
honesti, quoniam peccatum in eo non est querendu-
m, quod ille puniat, quin potius similia committendo
absolvatur. Et hac ratione genuinus quoque
verborum sensus, SERVATORIS pariter atque PAV-
LI a GROTI (r) prolatorum determinari poterit:
SERVATORIS (s) quæ ita sonant: *qui vestrum* (Ju-
dæorum scilicet, quorum mores hoc ævo adeo corru-
pti erant, ut qui sanctissimi videri volebant, in adul-
teriis & similibus flagitiis voluntarentur, ut videre est
Rom, II, 21. seq.) *sine peccato est*, id est, eadem haud
committit, *primum lapidem mittat*, & PAVLI (t) qui
sequentibus utitur verbis: *Quapropter inexcusabilis es,*
o bo-

(r) J. B. & P. I. II. cap. XX. §. III.

(s) Joan. cap. VIII. 7.

(t) Rom. cap. II. 1.



19

*o homo, quisquis es, qui judicas: nam hoc ipso, quod
judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim facis-
tu quaæ judicas.*

Schol. Plura qui desiderat argumenta bello punitive
opposita, adeat ill. DARJES (u), nec non doctissimum
Dn. GEORG. ADAM. REYHER (v) qui potiora huc spe-
ctantia solidissime refutarunt.

§. XIII.

Supereft, ut paucis utilitatem veritatis ventilatae
inquiramus. Degimus in civitate, qua in, communi
admisso imperio, juris puniendi exercitium in impe-
rantes transferimus. Disputatio ergo de origine juris
puniendi ex obligatione naturali derivata, nullius for-
san usus est in diebus nostris. Verum enim vero,
quamvis antecedentis veritas in dubium vocari nequeat;
consequentia tamen evicta nondum est reddita. Pri-
mo enim a principiis stabilitatis decisio quæstionis: utrum,
civitate constituta, jus puniendi, an vero exercitium
hujus juris a civibus in principem sit translatum, &
quidem prius si spectes, adfirmativa dependet. Se-

C 2

cundo

(u) supra laudatis observat. juris nat. lsc. & gent. observat. LXVI
p. 334 seq.

(v) commentat. de bello punitivo inter gentes jure gent. licito Halæ
1744.



cundo ex dictis dirimi potest quæstio quam maxime
controversa: num quædam gens jure gaudeat gentem
ob delicta vel contra se ipsam, vel contra alios com-
missa puniendi, & quæ sunt reliqua.

§. XIII.

Plura de hac materia gravioris momenti dicenda
alii reservamus tempori, & scopo nostro in præsenti
satisfecisse existimantes, nihil magis habemus in votis,
quam ut B. L. de bello punitivo secundum jus natu-
ræ haud illico prolata æqui bonique consulere, & ad-
plausu suo non plane indigna judicare velit.



Co-

Corollaria.

Ex puris particularibus interdum aliquid sequitur.

Qui syllogistice disputandi methodum rejiciunt, ex il-
lorum numero sunt, quibus omne, quod vetusta-
tem & scholam sapit, naufragium movet, nulla com-
moditatis ratione habita.

Accidens fieri essentiale rei, non repugnat.

De ente infinito formari nequit definitio realis.

Constitutiva individui sunt determinationes essentiales,
non vero accidentales.

Subordinantur a parentibus filii filiæque matrimonio,
non ex pacto solum, sed & per naturam.

Dispensatio a legibus naturalibus plane est impossibilis.

Non omnia falsiloquia sunt contra jus naturæ.

Civem innocentem, qui propriam salutem tempora-
riam totius civitatis inevitabili interneconi præferre
audet, innocentiam suam iniquitatis vitio commacu-
lare, tuto adserere possumus.

Possidentes jure suo meritoque beati vocantur, &
quo gravius & illustrius bonum aliquis possidet, eo
majori quoque jure beatus est prædicandus.

Qui contra conscientiam, quamvis erroneam agit, ille
peccat.

Qui obligatus est ad felicitatem suam in altius pro-
movendam, ille quoque ab obligatione, ad medi-
tationem de statu suo diligenter instituendam, li-
berari nequit.



VIRO
PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
HERMANN. FRIDERIC. EPHAIM.
BEKMANNO
FAVTORI ET AMICO SVO COLENDISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.

Læderem TVAM, qua insigniter polles, modestiam, si in laudes, quibus mirifice exornatus omnium, qui litteris pariter ac virtutibus favent, amorem mereris atque benevolentiam, excurrere, debitaque TIBI impertire vellem præconia; TIBI, inquam, qui in nostra Musarum sede per annum, & quod excurrit, non sine gloria scientiis militasti, & Doctoribus TVIS, quibus pro benevolentia plane singulari & me adnumerare volueris, Auditorem TE exhibuisti diligenterissimum, gratissimumque, Gratulantis ergo ob publicum eruditio-

ditionis, quod exhibebis, specimen, vices tantum suscipiam,
& insigni voluptate perfusus, quod in PERSONA TVA,
AMICE oculissime! certaminis socius, qualem umquam ex-
cepto, mihi contigerit, honorem de conatibus laudatissimis
certissime obtainendum augurabor.

Faxit Deus moderator hujus universi benignissimus, ut
cuncta TIBI ex voto eveniant, avertat abs TE pro clemen-
tia sua omnes sinistrioris fortunæ casus, & tantam lætandi
materiam TIBI ad optima quævis adspiranti, in posterum
concedat, quantam haud ita pridem obitum maxime venera-
bilis Domini PARENTIS TVI dolendi caussam habuisti, quo
congratulandi mox mox mihi enascatur occasio. Quod reliquum
est, maecte virtute TVA, & quod in votis habeo primis me
TVI studiosissimum amare pergas; & sic iterum iterumque
Vale. Scrib, die XI. m. Octobris A. R. S. MDCCCLVII.



Rostock, Diss., 1755-58

X.2284.307

ULB Halle
005 047 935

3





Pra. 3. num. 24. 22
17576.

Q. D. E. V.

DISSESSATIO
DE
BELLO PVNITIVO
SECVNDVM JVS NATVRÆ
HAVD ILLICITO

QVAM
FORTVNANTE SVMMO NVMINE
ET
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE CONSENTIENTE
IN ACADEMIA VARNO-BALTHICA

PRAESIDE

JOANNE GEORGIO QVISTORPIO
PHILOSOPHIAE MAGISTRO ET SOCIETATIS DVCALIS
TEVTONICAE, QVAE JENAE FLORET, SODALI

A. R. S. CLOCCCLVII. DIE OCTOBR.
PVLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBJICIET

HERM. FRIDERICVS EPHRAIM BEKMANNVS

MARLOVIO - MEGAPOLITANVS
PHILOSOPH. ET LL. CVLT.

ROSTOCHII,
TYPIS ANTON. FERDIN. RÖSENIANI.

